

aliquod collegium, non posse bona ejus extra Societatem donare, sed vel debere ea in manu Patroni relinquere, si aliquis talis sit, cui ex institutione et voluntate fundatoris reservata est pia dispositio de talibus bonis, pro tali casu; si vero nulla intercesserit talis reservatio, Societatem posse applicare illa bona, prout expedire judicaverit, id est, applicando illa aliis collegiis vel Domibus indigentibus, id enim necessario sequitur, cum dictum fuerit non posse extra Societatem donari; idem ergo cum proportionem dicimus de parte bonorum unius collegii in casu dicto. Qui, ut dixi, raro potest contingere, tum quia fere semper intervenit aliquod ex dictis impedimentis; tum etiam quia nullum est et vix esse potest collegium quod habeat superabundantia bona, quia si plures habet redditus, plures etiam habet quos alat, et semper plures habere potest, omnesque solent esse necessarii ad finem talis collegii, ubicumque ita copiose fundatum est. Frequentius autem posset hoc subsidium fieri ex redditibus unius collegii elemosynam alteri faciendo, ad quod habet potestatem solus Generalis, quia illa non est alienatio bonorum immobilium, sed mobilium tantum.

10. *Tertia limitatio, non tam potestatis Generalis, quam capacitatis aliorum.*—Addenda vero est limitatio, quæ in dictis constitutionibus sæpe exprimitur, pertinetque maxime ad paupertatem Societatis professæ, nimirum Generalem non posse redditus collegiorum in usum Societatis professæ convertere, nedum ipsa bona stabilita; ita habetur 4 p., c. 2, § 5, et p. 9, c. 3, § 18. Quod ita intelligendum est, ut non modo Præpositus solus, verum etiam nec cum consensu totius Societatis, aut Societas ipsa hoc possit efficere, quod ex dictis locis insinuatur, expressius vero habetur in 4 p., c. 10. Supremam curam collegiorum, dicitur ibi, juxta Sedis Apostolicæ litteras, professæ Societas habeat; cum enim quidquam privatæ utilitatis ex redditibus quærere, vel in suum usum convertere non possit, est valde probabile quod majori cum puritate procedat, etc.; et in Examine, c. 1, § 4, declaratur idem esse intelligendum de redditibus domorum probationis, quæ sunt veluti collegiorum membra. Hæc autem limitatio non inde oritur, quod potestas Generalis ad administranda bona collegiorum diminuta sit, sed ex eo præcipue quod Societas professæ ratione sui peculiaris voti est incapax hujusmodi usus. Per hoc tamen non videtur excludi, quin, interveniente vera necessitate, possit collegium

Societatis eam elemosynam facere domui professæ, quam posset facere monasterio S. Francisci; sed de hoc plura infra, tractando de paupertate Societatis, in tract. decimo, lib. quarto, cap. nono et sequentibus.

11. *Indultum Pii V, confirmans prædicta jura Societatis de alienationibus.*—Hæc sunt peculiaria jura, quæ circa hanc administrationem habet Societas ex vi suarum constitutionum, quæ in hac parte specialiter approbata sunt per varia Indulta et privilegia Apostolica. Et imprimis Pius V, in Bulla anni 1568, *Innumerabiles*, constitutiones quoad hoc expresse confirmavit, ut contractus in Societate non celebrentur capitulariter, sed per generalem Præpositum, ad quem ordinario jure tota facultas eos celebrandi spectat, vel per eum inferiorem Prælaturam aut delegatum, cui ipse hoc commiserit. Per hoc tamen non excluditur, quin ad dimittenda vel transmutanda collegia indigeat Generalis consensu Societatis, quia non de hujusmodi dimissione ibi agitur, sed de his contractibus, ut in Compendio, verb. *Alienatio*, § 1, adnotatur, et merito, tum quia non fuit mens Pii V derogare in aliquo constitutionibus, sed confirmare illas; tum etiam quia in principio expresse dicit sub disjunctione, gubernationem collegiorum pertinere vel ad Præpositum, vel ad ipsam Societatem, indicans se velle tribuere vel relinquere unicuique quod ad illum spectat. Et nihilominus illa confirmatio posset ad dictum casum applicari, quando sine congregatione generali cum suffragiis Provincialium a Præposito fiunt; tunc enim licet fiat cum consensu Societatis, non fit capitulariter.

12. *Indultum Julii III ad idem.*—Et juxta hoc etiam intelligendum est quod de hoc casu dicitur in Bulla I Julii III, ubi, cum dictum esset Præpositum debere graviora statuere cum consilio Societatis, subditur: *Concilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas constitutiones, et alia graviora, ut alienare, vel dissolvere domus, vel collegia semel erecta, intelligatur esse major pars totius professæ Societatis*; et hoc inferius confirmat Pontifex; ex quibus posset aliquis intelligere, omnino esse necessariam convocationem Societatis ad illum actum, atque ita non posse nisi capitulariter fieri. Sed non ita est, illa enim verba non sunt Pontificis, sed petitionis et narrationis oblatae Pontifici ab ipsa Societate, quæ expresse statim adjungit, *juxta Constitutionum nostrarum declarationem*; in Declarationibus autem explicatum

est, ut capitularis congregatio non sit necessaria ad talem actum; ergo tantum abest quod hoc ibi revocatum sit, ut sit potius a Julio III confirmatum. Unde quoad hunc effectum Provinciales omnes simul sumpti, licet in unum locum congregati non sint, totam Societatem repræsentant, et quod Generalis facit ad plura illorum suffragia, censetur facere cum consensu majoris partis Societatis.

13. *Indulta varia Gregorii XIII ad idem.*—Ad hæc Gregorius XIII prædicta privilegia et Indulta variis modis declaravit, confirmavit et auxit; nam in Bulla anni 1575, de usu facultatum, concessit ut possit Societas uti privilegiis concessis aliis religionibus ad exercendos contractus, vel alios actus qui ab aliis religionibus capitulariter fiunt, uti (inquam) more suo, et juxta Constitutiones suas per eos quibus administratio talium bonorum commissa est; in Bulla autem anni 1576, *Apostolicæ Sedis*, hoc amplius declaratur, et tota potestas Præposito relinquatur cum facultate eam delegandi, quibus et quomodo expedire judicaverit, juxta Constitutiones. Ampliatur præterea ibi Præpositi potestas etiam ad alienationes bonorum immobilium, vel quasi mobilium, et ad pretiosa mobilia cujuscumque qualitatis et quantitatis, ac valoris. Quod privilegium amplius extenditur ab eodem Gregorio in Bulla anni 82, *Ex debito*, etc., ubi omnia genera contractuum numerantur, et conceduntur Præposito, ut per se vel alium eos possit exercere, cum variis clausulis et extensionibus, quæ ibi et in Compendio privilegiorum videri possunt; semper tamen cavetur ut omnia fiant in evidentem collegiorum utilitatem, quamvis ibi concedat Gregorius, ut qui cum Societate contrahunt, aut bona illius emunt, non teneantur probare evidentem utilitatem, nec pretium ab eis datum in Societatis commodum fuisse conversum, sed solum ostendere patentes litteras a Societate, seu Præposito generali de contractu cum ea inito, et pretio soluto. Adiditurque non esse necessariam specialem Sedis Apostolicæ confirmationem ad omnimodam talium contractuum firmitatem, sed consensum Præpositi vel congregationis generalis respectivum sufficere. Additur etiam ibi extensio notanda, et necessaria ad componendas lites. Datur enim Generali facultas, ut possit de bonis Societatis compromittere, et quomodo libet super illis transigere, illisque simpliciter vel liti desuper habitæ, et actionem in non possessorem cedere, et renuntiare. Quod etiam intelligitur sub illa conditione, in evidentem uti-

litatem vel necessitatem; nam hæc fuit in principio posita, et sub illa, omnia sequentia unico textu conceduntur. In hujusmodi autem compositione, non oportet ut utilitas sit semper temporalis, sed sufficiet spiritualis, ut ad tollenda scandala, vel perturbationes, ne impediatur fructus animarum, cujus rei judicium in toto hoc negotio prudenti arbitrio ejusdem Generalis relinquatur, his verbis: *Utilitatemque venditionum, et aliorum hujusmodi, vel etiam necessitatem, aut aliam causam, propter quam fiant, simpliciter, et absque figura judicii cognoscere, judicare, definire, et penitus terminare, libere et licite valeat.*

14. *Observatio prima circa præcedentia Indulta.*—*Secunda.*—*Tertia.*—Circa quæ privilegia nihil fere notare necesse est, cum et per se et ex dictis sint satis clara; in eis autem considerare licet, quantum Apostolica Sedes approbet monarchicum regimen Societatis, quantumque de fidelitate et prudentia Præpositi generalis confidat: illi enim præcipue hanc facultatem concedit, nec requirit cum illo aliquod definitivum consilium, sed ordinarium modum procedendi Societatis. In quo etiam adverto, nullam formam vel specialem solemnitatem canonicam esse hodie necessariam ad validitatem horum contractuum, sed simpliciter fieri posse per ordinarias scripturas, sicut fiunt inter seculares, quia ita concedit Gregorius in hac ultima Bulla. Imo, cum in priori Bulla citata anni 1576, quamdam peculiarem solemnitatem postulasset, et contractus, aliter factos, irritos declarasset, in hac ultima hoc onere Societatem liberavit, et simpliciter procedendi facultatem concessit. In quo tamen ulterius advertere oportet, concessionem disjunctive fieri his verbis: *Præposito generali dictæ Societatis, vel ipsi Societati, dum ea scilicet erit generaliter congregata*; ad utrumque ergo membrum cum proportionem applicandum est quod dixi. Et de Præposito res est clara; quando autem res in congregatione agitur, vel si congregatio sibi aliquid reservaret (quod facere potest), tunc ex natura rei sequitur, ut res ad plura suffragia decisiva definienda sit, quia non potest alio modo congregatio consentire, vel sua potestate uti; posset tamen eam potestatem delegare alicui singulari personæ, et tunc ad delegationem esset necessaria major pars suffragiorum congregationis; delegatus autem postea poterit simpliciter et solus, juxta morem Societatis, negotia transigere.

15. *Quid possit fieri in alienationibus vacante Sede in Societate.*—Dubitari autem hic

posset an, vacante generalatu, vicarius generalis habeat quoad hoc plenam potestatem Generalis. Idemque interrogari potest de congregatione generali, sede vacante, antequam Generalem eligat, an, scilicet, intelligatur habere potestatem ibi concessam. De quibus infra, tract. 3, lib. 10, cap. 4, dicitur; nunc breviter ad utrumque respondeo negative, quia utriusque potestas est limitata per constitutiones, et quasi determinata ad finem eligendi Generalem, et quia privilegium illud in hac parte potius coarctandum est quam extendendum.

16. *Quid requiratur in Prælati Societatis, ut juste utatur dictis Indultis.*—Tandem dubitari potest quid teneatur facere Prælati Societatis, ut juste ac valide utatur hac potestate, præsertim in alienatione bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium. Respondeo, quod attinet ad justitiam et conscientiam, nullam peculiarem obligationem habere ex jure positivo, præter eam, quam naturalis ratio ex vi talis muneris postulat, procurandi per hujusmodi contractus majorem utilitatem Societatis; nihil enim aliud in prædictis Bullis postulatur; neque in modo inquirendi de hujusmodi utilitate, ut plena illius notitia et informatio habeatur, nulla specialis solemnitas vel diligentia præscribitur, sed totum relinquitur prudentiæ et conscientiæ Generalis, ut constat ex verbi Gregorii, in ultimo privilegio, in numero 13 citato, quæ amplissima sunt, nam prius refert concessionem in priori privilegio factam: *Nos eidem Societati, illiusque præposito generali pro tempore assistente, quod informatione de contractibus ineundis per litteras, vel alias prout ipse Generalis statueret a subordinatis localibus Præpositis, vel Rectoribus, aut Præfectis, seu horum vice gerentibus, vel a Provincialibus, seu visitatoribus, aut Commissariis, vel ab aliis sibi bene visis, auditis juxta eorum institutum Consultoribus, accepta concedimus*, etc. Postea vero subjungit: *Ea nunc de cætero perpetuis futuris temporibus (supra concedimus) sicut præmittitur, vel si utrilibet (id est Præposito, vel congregationi generali) visum erit extrajudicialiter, ac summarie et simpliciter accepta, vel etiam ea omnino omisa*, etc. Quod verbum ultimum positum est, non quia Præpositus vel congregatio possit ad contractum faciendum procedere sine sufficienti notitia utilitatis; id enim contra rationem naturalem est; sed quia interdum possunt habere hanc notitiam sine nova informatione, quod maxime contingere potest in

congregatione generali, ubi adesse solent hi, quibus ex officio incumbit talem habere notitiam, et possunt cæteris illam præstare, et Præpositus ipse potest interdum non indigere nova informatione, quia sufficienter novit qualitatem rei, de qua agitur. Itaque in conscientia solum tenetur recta intentione et prudenter procedere, ut Societas non damnificetur, et nihilominus in Societate magna diligentia et peculiaris etiam forma observatur, ut hæc informatio plene ac fideliter Generali tradatur.

17. *Quid requiratur ut utatur valide.*—Unde tandem fit, hujusmodi contractus validos esse, quotiescumque bona fide ob majorem utilitatem fiunt, quæ est manifesta intentio Pontificis in dicta Bulla. Quare, licet postea effectus probet venditionem, verbi gratia, non fuisse utilem, non propterea judicandum est contractum fuisse nullum, quia ejus valor non pendet ex futuro eventu, dummodo in ipsomet contractu non interveniat deceptio, vel enormis læsio ex parte eumentis, nam hæc sunt alia principia generalia nullitatis, de quibus nunc non agimus. Si autem contractus a principio fieret mala fide propter complacendum alteri in utilitatem ejus cum nocimento Societatis, existimo in conscientia contractum esse nullum, non propter solam injustitiam, sed quia non servatur forma in usu potestatis concessæ, sed exceduntur limites potestatis. Sicut enim hæc privilegia tollunt obligationem aliarum solemnitatum juris communis, ita dum hanc conditionem retinent, cum eadem vi et necessitate, quam in jure communi habet, illam requirunt; constat autem secundum commune jus esse de substantia contractus. Unde si emptori constat de tali defectu, et iniquo modo alienandi, tenebitur in conscientia non contrahere; vel si ita contraxit, rescindere contractum; imo, si ipse fuit in causa, restituere Societati damna quæ fortasse Prælati reparare non valet. Et ita etiam esset in externo foro judicandum, si defectus sufficienter probaretur; difficile autem esset utrumque ad praxim reducere. Hæc ergo sunt propria Indulta Societatis in hac administratione.

18. *Quousque aliis religiosis possit communicatio horum indultorum competere.*—An vero alii religiosi per viam communicationis illis uti possint, ipsi examinabunt et videbunt. Ego solum adverto, per communicationem non intendere Pontifices invertere modum procedendi uniuscujusque religionis secundum suas constitutiones, neque ad hoc licentiam dare; communicatio ergo ad unam-

quamque accommodari debet juxta modum suum, ut, verbi gratia, si Pontifex concedit Generali Societatis, ut in alienationibus simpliciter procedat juxta suas constitutiones, non conceditur per communicationem Generali, verbi gratia, S. Augustini, ut possit similiter uti illo privilegio juxta constitutiones Societatis, sed juxta suas, quia intentio Pontificum non est derogare aliquibus constitutionibus, nec privare religionem vel religionum suo jure, quod fortasse juxta suas constitutiones habet. Unde, licet in Societate tantum requiratur consilium consultivum, in aliis requiretur definitivum; et licet in Societate non sit de substantia actus, in aliis esse poterit. Observata ergo hac moderatione, et convenienter applicata, habebit locum dicta communicatio.

CAPUT XXIX.

QUAM POTESTATEM HABEANT PRÆLATI REGULARES AD ORDINES CONFERENDOS.

1. *Esse in Prælati religionum aliquam ejusmodi potestatem.*—Prima suppositio pro hac potestate explicanda.—Duplex potestas ecclesiastica distingui solet, jurisdictionis et ordinis; ad priorem pertinent quæ hactenus de potestate horum Prælatorum tractavimus, nam potestas administrandi temporalia quasi accessorie jurisdictioni adjungitur; potestas autem ordinis vocatur illa, quæ est ad quoscumque actus sanctificandi, consecrandi, aut solemniter benedicendi rem aliquam vel personam. Hæc autem potestas non convenit specialiter Prælati religionis per se, et præcise ex eo quod Prælati sunt, sed supponi solet in illis ex eo quod sacerdotes sunt. Nihilominus tamen ex peculiari institutione vel concessionem Ecclesiæ aliquid eis in hac parte concessum est, quod vel omnibus vel multis eorum est communicatum, et ideo breviter est hoc loco explicandum. Supponendum imprimis sacerdotem simplicem solum posse ex vi suæ ordinationis et communis institutionis Ecclesiæ, præter sacramenta, quædam pauca sacramentalia conficere, ut aquam benedictam, et similia quæ in Missali, et Manuali Romano continentur; nihilominus tamen posse Pontificem hanc potestatem extendere per specialia privilegia. Unde si Prælati religionum aliquid amplius potestatis in hoc genere habeant, per specialia Indulta Pontificia illis concessum esse necessarium est, et ideo illa consulenda

sunt, licet aliqua sint in jure communi inserta, ut videbimus.

2. Secundo supponendum est, Abbates religionum quosdam esse benedictos, alios non benedictos, ut ex usu constat, et ex privilegiis statim referendis. Et colligitur etiam ex cap. 1, de Supplen. neglig. Prælat., quod sumptum est ex sexto privilegio Cisterciensium, et idem habetur in 8, ab Urbano III concessio, ex quo nonnulla ad rem præsentem notari possunt. Primo, Abbatem non constitui in suo munere per benedictionem, sed per electionem et confirmationem, ut ibi glossa notat, Panormitanus et omnes; atque ita benedictionem se habere veluti quoddam ornamentum, et quasi ordinationem, seu consecrationem personæ in ea dignitate constitutæ. Unde recte infert Navarrus, Consil. 2, de Sacramentis non iterandis, benedictionem illam non posse iterari, sicut prima tonsura, et aliæ benedictiones ecclesiasticæ circa eandem rem permanentem non iterantur. Secundo colligitur ex dicto textu, hanc benedictionem habuisse olim aliquos actus proprios, qui dici possunt veluti actus Ordinis, ut insinuavit Sylvester, verb. Abbas, n. 4, nam Abbas electus et confirmatus potest actus jurisdictionis exercere; tamen benedicere aut ordinare, qui sunt veluti actus Ordinis, non poterat olim, nisi esset benedictus, quod in illo textu supponitur, et statim amplius patebit. Simul vero constat ex illo textu, per concessionem Pontificis fieri posse ut Abbas non benedictus possit eosdem actus quasi Ordinis exercere, quos potest benedictus; cum enim olim Abbates ab Episcopis benedicerentur, antea non exercebant prædictos actus Ordinis; quia vero Episcopi interdum negabant, vel nimium differebant benedictionem, concedit ibi Alexander III, *ut si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios monachos benedicere, et alia, quæ ad officium hujusmodi pertinent, exercere*. Constat igitur illam benedictionem Abbatis non esse simpliciter necessariam ad tales actus.

3. Dico ergo: aliqui Prælati religionum possunt primam tonsuram et minores Ordines conferre, et olim poterant etiam subdiaconos et diaconos ordinare. Hæc assertio partim constat jure communi, partim privilegiis extra illud existentibus. Primum jus, quod in hac re invenio, est in c. 1, 69 dist., ex septimo Synodo, c. 14, ubi dicitur, *Abbatibus posse tantummodo in proprio monasterio lectores ordi-*